



- 1 Baumgarten s. Sigm. Jac. s. meditatio-
nes quardam de Genuina et Spuria
edificatione spirituali Mediorum illius
legitimis et illegitimis, Halle, 1747.
- 2 Brunings s. Christ. s. diff. de Christo
triumphante, Heidelberg 1747.
- 3 Clossen s. dieu. Sigm. s. diff. de Opere
dei miraculoso, Gratioso et Glorioso
in sanctis rediivis demonstrato,
Francof. 1726.
- 4 Clauswitz s. Bened. Gottl. s. diff. de
Spiritu Sancto Annabone, Halle, 1747.

4
BENED. GOTTLOB CLAVSWITZ

S. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

HALENSI

COMMENTATIO

DE

SPIRITV SANCTO
ARRHABONE

ad Ephes. I, 13. 14.



HALAE MAGDEBVRGICAE
TYRIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII.



estum Pentecostes denuo illucescit, o Ciues, spiritui sancto sanctificatori nostro sacrum, sanctam omnino illius memoriam sanctamque in his diebus conuersationem a nobis omnibus exposcens. Tot enim sunt tantaque, quæ in causa salutis nostræ a Spiritu S. beneficia bonaque in nos deriuantur. Indigemus prorsus hoc spiritu. Si quis enim spiritum Christi non habet, non est eius Rom. VIII, 9. Est hic Spiritus sanctificationis nostræ (II Thess. II, 13. I Petr. I, 2. Abluimur sanctificamur in spiritu Dei nostri, ut in nomine domini nostri Iesu Christi iustificamur I Cor. VI, 11. Neque enim peccati statum naturæque nostræ deprauationem saluari contritione agnoscere & detestari possumus, nisi hic spiritus mundum in nobis de peccato, peccato inprimis incredulitatis, arguat (Ioh. XVI, 8.) Neque Iesum dominum appellare possumus h. e. agnoscere illum dominum, credere in illum, amare illum, colere illum ut dominum, confiteri illum, nisi in spiritu sancto I Cor. XII, 3. nisi hic Iesum Christum in cordibus nostris glorificet Ioh. XVI, 14. Sunt omnino omnes virtutes christianæ Paulo teste Galat. V, 22. fructus huius spiritus. Eius enim est, ut animum & vitam fidelium renouet, pias cogitationes, voluntatis propensiones intus & in animo excitet, propositum bonum inde eliciat, atque ita externa etiam opera virtutum Christianarum verbis factisque conspicua, & eorum habitus efficiat. Neque vero iam omnem ambitum officii Spiritus S. operationes & dona illius excutiemus, sed de *Spiritu ar- rhabone* tantummodo differemus. Scilicet mentio fit in tribus scriptu.

scripturæ noui testamenti locis *Arrhabonis spiritus sancti*
 II Cor. I, 22. scribit apostolus: Deus est, qui & signauit nos
 ὃς δὲς τὸν ἀρράβωνα τῷ πνεύματος ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν. *Et dedit*
pignus spiritus in cordibus nostris: Et cap. V, 5. Qui autem ef-
 ficat nos in hoc ipsum (sequimur versionem vulgati Interpre-
 ris) ὃς δὲς ἐν ἡμῖν τὸν ἀρράβωνα τῷ πνεύματος, qui dedit nobis
 pignus Spiritus. Denique Eph. I, 13. 14. Ἐν ᾧ καὶ πισεύσαντες
 ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῆς ἀγάπης. Ὅς ἐστὶν ἀρ-
 ράβων τῆς κληρονομίας ἡμῶν, εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως, εἰς
 ἕκαστον τῆς δόξης αὐτοῦ. *In quo est vos, cum audissetis uerbum*
veritatis, euangelium salutis nostræ, in quo est credentes signati
estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis no-
stræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. Inter
 hæc apostoli loca plenissime omnino de hoc argumento
 agitur Eph. I, 13. 14. Hunc ergo potissimum locum seligemus
 exegerica tractatione argumentum *de arrhabone Spiritus S.* ex il-
 lo expedientes. Pertinet nostra quidem sententia v. 13. 14. ad
 illam epistolæ huius partem, qua Paulus Apostolus, uti in aliis
 epistolis solet, ita etiam in hac ad Ephesios scripta, Deum
 propter euangelica beneficia celebrat: cumque inde a v. 3. be-
 neficia hæc prout in conuersos ex Iudæis collata fuissent, com-
 memorasset, eadem nunc prædicat, prout conuersis ex gen-
 tibus inter Ephesios fuissent exhibita. Et hoc argumentum v.
 13. incipit, idem illud in sequentibus continuans. Confirmant
 hanc nostram sententiam collatio antecedentium, in quibus a-
 postolus de se & aliis conuersis ex iudæis ita disserit, ut 1) vo-
 ce ἡμῶς per ἡ scripta semetipsum includat v. 3. 4. sqq. 2) in pri-
 ma plurali ἔχομεν habemus v. 7. ἐκλήρωθημεν v. II. sorte vocati
 sumus de semet ipso cum aliis in communionem spectato disse-
 rat, 3) uero quinam illi sint, quos secum in communionem locet,
 clare satis indicat, tum illos v. 12. appellat προηλπικότες ἐν τῷ
 Χριστῷ, ante sperantes in Christo. Atqui hæc descriptio non
 competit in conuersos ex gentibus: competit uero in conuer-

fos ex Iudæis: Hi enim antea in veteri testamento Messiam ex-
 spectauerant, hi in N. Test. antequam per euangelium gentes
 conuerterentur, in Christum credere inceperant: cum his ergo
 tanquam fratribus suis secundum carnem hoc loco in commu-
 nionem venit Apostolus. Tum vero v. 13. sqq. stylum vertit
 apostolus. Alloquitur enim a se quodammodo diuersos per
 ὑμῶν v. 13. ὑμῶν v. 15. ὑμῶν v. 16. pronomine per v. scripto,
 quod vos significat. Compellat hos in secunda persona verbi
 ἐσθραγιθῆτε signati estis. Et hæc ad conuersos ex genti-
 bus dici manifestum est per v. 11. vbi admonet illos apostolus,
 quod fuerint gentes in carne, dicti præputium ab iis, qui dice-
 bantur circumciso. Ad hos ergo conuersos ex gentibus, qua-
 les plures apud Ephesios, conuertit nunc orationem suam a-
 postolus, & euangelica beneficia etiam illis exhibita celebrat.
 Commemorat vero 1) beneficium vocationis, 2) beneficium fi-
 dei, 3) beneficium ob signationis Spiritus S. Posterius illud
 ita quidem exponit apostolus, vt tum causam promerentem &
 efficientem Iesum Christum, tum formam ob signationis, tum
 ipsum signaculum sistat, & hoc est Spiritus S. quem sequenti-
 bus verbis describit. Ἐσθραγιθῆτε τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας,
 τῷ ἁγίῳ: ὅς ἐστιν ἀρῆραβῶν τῆς κληρονομίας ἡμῶν: tum vero ter-
 minum & metam ob signationis indicat, εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περι-
 ποιήσεως εἰς ἑαυτὸν τῆς δόξης αὐτοῦ, in redemptionem acquisitionis,
 in laudem gloriæ ipsius. Hæc enim non cum immediate ante-
 cedentibus ὅς ἐστιν ἀρῆραβῶν τῆς κληρονομίας ἡμῶν, sed cum verbo,
 ἐσθραγιθῆτε construenda esse, docet parallelismus Eph. IV, 30.
 Erit vero nunc argumentum scriptionis nostræ τὸ πνεῦμα τῆς
 ἐπαγγελίας τὸ ἅγιον, ὅς ἐστιν ἀρῆραβῶν τῆς κληρονομίας ἡμῶν. Si-
 stunt hæc verba Spiritum S. hæreditatis nostræ arrhabonem &
 in primis quatuor momenta complectuntur. Describunt 1) il-
 lum qui arrhabonis rationem habet. Sistunt 2) modum illum,
 quo ille est arrhabo. 3) Obiectum s. rem illam, quam vt ar-
 rhabo confirmat. 4) Denique illos, ad quos tanquam arrhabo
 Spi-

Spiritus S. refertur. *Primo* quidem expendendum est, *quis ille sit, qui arrhabonem apud fideles præstet*: Et hic est *Spiritus promissionis sanctus*, quo Ephesii ex gentibus conuersi obfignati erant. Ita enim hæc verba cum præcedentibus, connectuntur: ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ, ὅς ἐστι ἀρῆραβῶν κ. τ. λ. Dicuntur fideles conuersi ex gentibus inter Ephesios, quos hic alloquitur Apostolus, *signati spiritu promissionis sancto*: tum vero per articulum postpositiuum ὅς, qui, vt notum est, & significationem & constructionem pronominis relatiui obtinet, hoc prædicatum, quod in initio v. 24. exhibetur, nimirum *esse arrhabonem*, tanquam adiunctum aliquod *Spiritus promissionis sancti* ad verba: πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ, refertur: quippe quæ proxime antecedunt, adeoque ad *Spiritum promissionis sanctum* spectant. Mirum ergo, quod Interpretes nonnulli de alia persona, quam de spiritu sancto h. l. cogitare potuerint. Cogitant interim nonnulli h. l. de Christo (*a*) illumque ex v. 12. accersunt, atque adeo ad eandem personam referendum esse volunt τὸ ὅς, ad quam τὸ ἐν ᾧ referendum erat. Verum hæc interpretatio aliena est, siquidem & relationi illi, quam Christus in causa salutis nostræ ad nos habet, minus conuenit, cum illi contra, quam Spiritus S. habet, prorsus respondeat: & per loca parallela II Cor. I, 22. V, 5. omnino confutatur, vbi discreta mentio fit *Spiritus ἀρῆραβῶνος* h. e. Spiritus S. qui sit arrhabo in corda nostri mittendi. Nata videtur omnino hæc

A 3

inrer-

- (a) Videtur huic Interpretationi facem prætolisse Polycarpus epist. ad Philipp. p. 9. Ἀδελφίπτος ἐν προσκατεγγόμεν τῇ ἐλπιδι ἡμῶν καὶ τῷ ἀρῆραβῶν τῆς δικαιοσύνης ἡμῶν, ὅς ἐστι Χριστὸς Ἰησοῦς, quæ verba vertit Interpres latinus: *Indeficienter ergo toleremus propter spem nostram & pignus iustitiæ, quod est Iesus Christus*. Considerat h. l. Polycarpus Iesum Christum vt arrhabonem iustitiæ nostræ & videtur ad nostrum locum respexisse: prout non male iudicat *Stephanus le Moyne* in variis sacris T. II. Not. & obseruat, ad Polycarpi ep. p. 966. Secutus est Polycarpum *Faber Stapulensis* & articulum ὅς in nostro loco ad Christum retulit.

interpretatio ex eo, quod in pluribus codicibus legatur: ὅς ἐστιν ἀγίαβων. Hoc vero cum genere discrepet a voce præcedente τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ, ad Christum, cum quo genere masculino conuenit τὸ ὅς, referendum illud esse existimarunt. Alii contra, qui quidem Spiritum S. non vero Christum dici h. l. arrhabonem, recte iudicarunt, de mutanda lectione τῷ ὅς in ὁ (b) perperam h. l. cogitauisse videntur. Neque vero in locum consuetæ lectionis nostræ recipienda hæc lectio. Siquidem constructio generis vsitatissima est, vt articulus ὅς, qui relatiui naturam habet, sequenti voci respondeat Ephes. VI, 17. I Tim. III, 15. vnde cum sequatur ἀγίαβων quod masculinum est, dici potuit ὅς ἐστι, etsi illud ipsum ad Spiritum S. qui immediate præcedit, omnino referendum sit. Nec infuetum est scripturæ, vt voci πνεῦμα ἅγιον, proxime antecedenti, cum persona sit Spiritus S. sub nomine παρακλητός discipulis Christi promissus, pronomen masculini generis immediate subiungat Ioh. XIV, 26. XVI, 14. Ratio igitur nulla est, vt h. l. lectionem mutemus, multo minus, vt de alio subiecto, quod sit arrhabo, & quod Spiritus S. non sit, cogitemus. Dicitur ergo h. l. spiritus promissionis sanctus arrhabo. Designatur vero hic ipse, qui arrhabonis indolem habet 1) a personali nomine, quo dicitur πνεῦμα. Hoc enim, si cum addito ἅγιον in scripturis noui testamenti occurrat, non naturam spiritualem creatam, nec essentiam spiritualem increatam, communem nempe essentiam, qua Deus spiritus est, Ioh. IV, 24. significat, sed personam tertiam, quæ sub discrimine a patre & filio Matth. XXVIII, 19. I Ioh. V, 7. II Theff. II, 13. I Petr. I, 2. spiritus dicitur, ratione modi subsistendi, quo per spirationem a patre & filio procedit, designat. Quare nec addita vox ἅγιον, dum dicuntur Ephesii in Christum credentes obfignati τῷ πνεύματι

τῷ

(b) Præferunt hanc lectionem *Eubalius* qui sec. V. codicem suum N. T. capitulis capitumque breuiariis instruxit, nec non *Cod. Alexandr.* aliique *Millio* citati codices.

τῷ ἁγίῳ attributum sanctitatis, quatenus Deo essentiale, & tribus personis commune est, significat, sed ab officio sanctificationis, quod spiritui s. appropriatur, sanctum eundem denominat. Dicitur ergo πνεῦμα ἅγιον quasi πνεῦμα ἀγιάζον Spiritus sanctus h. e. sanctificans. Designatur 2) hic spiritus S. ab adiuncto quodam, quo vocatur πνεῦμα τῆς ἐπαγγελίας spiritus promissionis. Duplici ratione hæc exponunt interpretes. Interpretantur enim πνεῦμα ἐπαγγελίας per πνεῦμα ἐπηγγελμένον, spiritum promissum. Atque ita nonnulli, vt TIRINVS, ZANCHIVS Salom. van TILL, spiritum sanctum dictum esse existimant, quod in primis in vet. testam. Ioel II, 28. Zach. XII, 10. Ies. XLIV, 3. Ezech. XXXVI, 27. tanquam donum N. T. singulare promissus sit: Alii vt THEODORETVS (c) ad promissionem in primis ab ipso Christo Ioh. XIV, 16. XV, 26. XVI, 7. factam respici h. l. existimant. Contra vero Interpretes nonnulli, vt Ludou. CAPELLVS, Io. Casp. SVICERVS (d) Spiritum S. πνεῦμα ἐπαγγελίας dici existimant, quod promissiones diuinas in animis fidelium obsignat & confirmat. Coniungit vtramque interpretationem THEOPHYLACTVS, & diuersis locis diuersam exhibet CHRYSOSTOMVS (e). Coniungunt etiam Frid. BALDVINVS, Abrah. CALÓVIVS atque alii. Præferenda tamen omnino est prior explicatio, qua Spiritus S. πνεῦμα ἐπαγγελίας dicitur, quod & in veteri testamento & in nouo ab ipso Christo promissus fuit. Confirmant hanc explicationem 1) analogia phrasos, vbi γῆ ἐπαγγελίας terra promissionis idem est ac terra promissa Ebr. XI, 9. sic filii promissionis sunt filii ex promissione nati Rom. IX, 8. 2) inuersa quodammodo loquendi forma, vbi ἐπαγγελία τῆς πνεύματος promissio spiritus Gal. III, 14. ἐπαγγελία τῆς ἁγίας πνεύματος promissio spiritus s. Act. II, 33. notat spiritum sanctum promissum. 3) Res ipsa, phrasibus similibus expressa, vbi

(c) ad Ephes. I, 14.

(d) Thef. eccles. Tom. II. p. 767.

(e) Homil. II. in Ep. ad Ephes. & Homil. LXXII.

vbi spiritus s. dicitur *ἐπαγγελία τῷ πατρὸς* Act. I, 4. coll. v. 8. II, 39. Neque enim commode dici posse videtur spiritus s. spiritus promissionis, quod promissionem de statu gratiæ & cœlesti hæreditate in animis fidelium certam reddat, eandemque obfignet: cum ea propter potius spiritus confirmationis, obsignationis dicendus esse videatur, & notio obsignationis & confirmationis per verbum *ἐσφραγίσθητε* & per vocem *ἀρροβάναι* exhibeatur. Spectatur vero spiritus hic sanctus, spiritus promissionis dictus, secundum operationes suos, quæ ad animam terminantur, per II Cor. I, 22. vbi arrhabo spiritus dicitur datus *ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, in corda nostra*: spectatur vero secundum operationes illas, quæ fidem iam in animis productam supponunt. Inquit enim apostolus. *πισθῶσαντες ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τοῦ ἀγίου. Credentes, vel postquam credidistis, obsignati estis spiritu promissionis sancto.* At vero spectatur simul secundum operationes & dona, quæ tum possidentur, animum certum reddunt de statu gratiæ & futura hæreditate cœlesti. Quare non conuenit, ut spiritum s. hoc loco interpretemur de donis illis extraordinariis & miraculosis, linguarum, sanationum, vaticiniorum, quæ festo Pentecostes in apostolos & post hæc in alios fideles effundebantur, quæ GROTII interpretatio est. Hæc enim non erant prorsus communia omnibus ad Christum ex gentibus conuersis: neque hæc dona pertinent ad confirmationem & obsignationem animi de statu gratiæ æternaque salute; atqui de hac obsignatione apostolo h. l. sermo est, quod & ipsa spiritus s. descriptio confirmat. Spectatur ergo spiritus s. secundam illas operationes, quæ ordinarie in omnibus fidelibus, quatenus fideles sunt, se exerunt. Spectari vero possunt hæ operationes, quatenus partim ad gratiam renouantem & sanctificantem strictè dictam, partim ad gratiam recreantem & obsignantem pertinent. Spectari vero debent hæ operationes spiritus s. vt. admissæ. Neque enim spiritus s. obsignare possit fideles, nisi
quoad

quoad operationes quæ ad obſignandum pertinent, admiſſus eſt. Quod ſi vero hic operationes ſpiritus S. ſanctificantes, ſpectantur, ſpectanda eſt in primis illa ſancti ſpiritus operatio, quæ ex fide in Ieſum Chriſtum obſequium filiale in regenitis efficit: quod dum ex amore Dei enaſcitur, cultu eius & præſtatione operum, quæ ſimul ad amorem proximi pertinent, ſe exferit. Quod ſi iam hæc ſpiritus ſ. operationes ad terminum producendum admittuntur, oriuntur inde actus amoris diuini, obſequii erga Deum, & caritatis proximi. Hi sæpius repetiti conſtituunt habitus virtutum Chriſtianarum, quæ dum ex operatione ſpiritus ſancti enaſcuntur, fructus ſpiritus dicuntur Gal. V, 22. Eph. V, 9. & dona ſanctificantia audiunt, per quæ diuina imago in nobis reſtauratur. Confirmat ſpiritus ſ. hac ratione quoad dona ſanctificantia ſpectatus ſuo iam modo fideles de ſtatu gratiæ, dum per fructus fidei in animo productos præſentiam fidei teſtatur: & dum fidem veram in Ieſum Chriſtum præſentem per effectus oſtendit, ipſum ſtatum gratiæ præſentem, qui poſita fide non poteſt non poni, com-
monſtrat. Quæ vt recte ſe habent, fatendum tamen eſt, ſpiri-
tum ſ. hoc loco in primis ſpectandum eſſe, ſecundum opera-
tiones illas, quæ ad confirmationem animi de ſtatu gratiæ &
obſignationem directe referuntur. Siſtit enim hoc loco apo-
ſtolus ſpiritum ſ. quatenus obſignat: ſiſtitque illum vt arrha-
bonem hæreditatis noſtræ. *Ὅς ἐſτι ἀρῥάβων τῆς κληρονομίας ἡμῶν*, inquit apoſtolus. Exhibent hæc verba prædicatum pro-
poſitionis noſtræ: e quibus, quod *ſecundum eſt*, illudque præci-
puum tractationis huius momentum, *modus ille, quo ſpiritus ſ.
eſt arrhabo*, eruendus eſt. Exprimi hunc modum vox ἀρῥά-
βων (*f.*) in hoc ipſo argumento, vbi de confirmatione animi
fide.

(f) Vox ἀρῥάβων origine hebræa eſt. Occurrit enim non tantum
vox ערבה Arubbah ſponſio, arrha I Sam. XVII, 18. Prou. XVII, 18.
Sed etiam vox ערבון Erabhon, Arrhabo, pignus Gen. XXXVIII,
B. 17. 18.

fidelium de statu gratiæ sermo II Cor. I, 22. V, 5. a Paulo adhi-
 bita. Notat illa 1) in genere omne illud, quod pignoris ra-
 tionem habet, quo dato confirmatur promissio: in specie ve-
 ro significat 2) *πρόδομα* seu partem pretii, quæ in antecessum
 traditur, vt de toto pretio secuturo fides fiat (7g), 3) notat et-
 iam *μῆτρον* seu pignus illud, quo in contractibus matrimonia-
 libus

17 18. 20. vtraque a verbo ערב Arabh deriuata, quod præter no-
 tionem miscendi significationem etiam spondendi, & fideiubendi
 obtinet. Notat vero vox ערב & ערבון apud Hebræos in gene-
 re pignus, seu omne illud, quo dato promissio, in primis de solu-
 endo, confirmatur. Male ergo Lexicographi græci de græca vocis
 huius deriuatione cogitant, sic enim Etymolog. magnum: 'Αρ-
 ράβων όνομα ἀρράβων τις ὧν quasi quod non potest frangi ἢ πα-
 ρὰ τῆ ῥαβδός ῥαβδῶν ἔξ προσημῆς τῆς ἀσερήσεως ἔξ ἀποβολῆ
 τῆ ἰ. ἀρράβων: κ. τ. λ. Vel a ῥαβδός qua intortum & curuum no-
 tat & additione τῆ α privatiui & reiectione τῆ ἰ. fit ἀρράβων, quia
 non patitur curuam & leuem vel malam esse fidem eorum, qui in-
 ter se conuenerunt. Tum vero hæc vox ad græcos transit eadem
 significatione, quoad rem ipsam seruata. Vbi non male videtur
Grotius Not. ad II Cor. I, 22. & *le Moyne* Var. Sacr. Tom. II, p. 468.
 migrationem vocis hebrææ ad græcos inuestigasse, dum vocem
 hanc hebræam & phœniciam a phœnicibus mercatoribus ita qui-
 dem ad græcos, cum quibus Phœnices commercia habebant, tran-
 sisse existimat, vt eadem vox græcis vsu recepta fuerit.

- (g) Explicat ita hanc vocem *Hesychius* dum 'Αρράβων reddit *πρόδομα*.
 Plenius vero *Suidas* & *Etymolog.* magnum 'Αρράβων ἢ ἐπὶ ταῖς
 ὠνάϊς παρὰ τῶν ὠναμένων δικομένη πρώτη καταβολή ὑπὲρ ἀ-
 σφαλείας. *Arrhabo* est prima pecunie persolutio qua cautionis cau-
 sa in emtionibus datur, pro rebus, que emuntur. Quam notionem
 etiam locus *Menandri* & *Aristotelis* confirmat apud *Io. Pearson* Ex-
 posit. Symb. Apostol. art. VIII. p. 582. Conspirat cum hac notio-
 ne ill, aqua vox 'Αρράβων de Symbolo adhibetur, quod in ῥεανῶς
 illi sodalium dabatur, qui iubebatur conuiuium parare, in signum
 futuræ solutionis, vt *Isaacus Casaubonus* Animaduers. in Athenæum
 Lib. III, c. 31. ostendit.

libus sponsus & sponsa mutuam fidem confirmant (b). Et hi quidem significatus in voce hebræa ערבוך, Syriaca Rhabhuno & latina arrhabo etiam obtinent (i). Quod si iam de signifi-

(b) Pertinet huc locus *Hesychii* in voce Μνησρον. Μνησρον ὁ τῆ γάμου ἀξέξασάν μνημογευόμενοι ἀξέξασωνιζόμενοι.

(i) Obtinet significatum pignoris apud *Terent. Heautontim. Act. III. Scen. 3. Ea relicta arrhaboni est huic pro argento: apud Apuleium Metamorph. Fanus quoque copiosum sub arrhabone auri & argenti crebrius exercens. Et apud Gellium Noct. attic. Lib. XVII. cap. 2. Cum tantus, inquit, arrhabo populi romani apud Samnites esset. Notat partem pretii apud *Plaut. Mostellaria: Eas quanti destinat. Talentis magnis totidem, quod ego & tu sumus. Sed arrhaboni has dedit, quadraginta minus. Denique & notionem pignoris sponsalitiu obtinet apud Plaut. Rud. Prolog. Minis triginta sibi puellam destinat, datque arrhabonem & iureiurando alligat, & in Mil. Act. IV. Scen. I. Hunc arrhabonem amoris accipe. Eodem sensu venit vocabulum *Arrha* ex decurtata voce *Arrhabo* ortum. Notant præterea scriptores discrimen, quod inter pignus & arrhabonem seu arrham intercedit. Obseruat hoc discrimen *Hieronymus* ad *Ephes. I. 14. Pignus, inquit, latinus Interpretes pro arrhabone posuit, non id ipsum autem arrhabo, quod pignus sonat. Arrhabo enim futurae emptioni quasi quoddam testimonium & obligamentum datur. Pignus vero, hoc est, ἐνέχερον, pro mutua pecunia opponitur, ut cum illa reddita fuerit, reddenti debitum pignus a creditore reddatur. Explicat hæc *luculentius Isidorus Orig. Lib. X. c. 25. Interest in loquendi usu inter pignus & arrham. Nam pignus est, quod datur propter rem creditam, que dum redditur, statim pignus aufertur. Arrha vero est primum, quod pro re bone fidei contrahenti ex parte datur & postea completur. Est enim arrha complenda, non auferenda. Unde qui habet arrham, non reddit sicut pignus, sed desiderat plenitudinem & c. His addi meretur observatio *Stephani le Moyne Var. Sacr. not. & obseruat. ad Polycarp. epist. p. 478. Arrhabo sumitur aliquando pro pignore. Sed tamen obseruandum, arrhabonem esse pignus, sed, omne pignus non esse arrhabonem. Nam proprie arrhabo est pignus, quod in manus traditur & tenetur re ipsa σωματικῶς. Talia, pigno-*****

gnificatu vocis ἀρραβών, qui nostro potissimum loco conueniat, dispiciamus, possunt utique omnes tres, quos modo adduximus, significatus sensum satis aptum exhibere. Scilicet dici potest spiritus s. ἀρραβών τῆς κληρονομίας ἡμῶν *arrhabo hereditatis nostræ*, notione illa, qua *pignus* significat: quam significationem *Vulg.* interpretes & *Lutherus* in versione exhibent. Dicitur potest pignus, quod in manus traditur ad fidem promissi faciendam. Datur enim & spiritus s. fidelibus quasi in manus. Possident illum intrus & in animis, ut inhabitantem spiritum, non tantum quoad sanctificantia dona stricte dicta: verum habent etiam in semetipsis testimonium spiritus s. seu coniunctionem de statu filiationis Rom. VIII, 16. II Joh. V, 10. coniunctam cum tranquillitate conscientie & pace spirituali Rom. V, 2. XIV, 17. XV, 13. Atque hoc directe refertur eo, ut fideles reddantur simul certiores de implenda etiam illa promissione diuina, qua vitam æternam credentibus est pollicitus. Quod si ergo hæc spiritus s. operatio a fidelibus admissa, qua certum reddit animum de statu gratie & adoptionis apud Deum, iisdem securam ex promisso diuino filiorum Dei hereditatem confirmat: dici utique potest spiritus s. hoc respectu hereditatis nostræ pignus. Neque enim necessum est, ut quæ ex foro Iureconsultorum notionem pignoris circumstant, simul applicentur, ubi pignoris ea solet esse indoles, ut promissione impleta, & re cuius pignus est exhibitâ, auferatur & reddatur. *Manet enim spiritus apud fideles in æternum* Ioh. XIV, 17. et si nec illud negandum, indolem donorum spiritus s. postquam plenariam vitæ æternæ hereditatem adepti sumus, quodammodo immutari I Cor. XIII, 10. Dicitur vero etiam potest spiritus s. *arrhabo* eo sensu, quo ἀρραβών significat *μῆστρον* seu pignus nuptia-

„pignora græci vocarunt *καταπόχημα ἀπὸ τῆς κατέχευθαι* a comprehendendo, quæ a creditore tenentur & possidentur actu in securitatem contractus effectum certo habituri. Vid. etiam *Barnab.*
Briffonum de formulis loquendi voce *Arrha, Arrhabo.*

nuptiale, quo desponsati mutuam fidem confirmant, quem sen-
sum *Io. Cocceius*, *Frider. Balduinus* & plures alii sequuntur.
Confirmat enim a parte sua Iesus Christus animarum sponsus
Eph. V, 23. 29. 30. Pl. XLV. fidelibus suis omnino amorem ar-
dentissimum, curam & indefinens studium ipsos ad salutem
prorsus præparandi, protegendi, & saluandi, immo perpetuam
vnionis mysticæ fidem, dum spiritum suum illis donat I Ioh.
IV, 13. Neque tamen omni ex parte satis commoda esse vide-
tur hæc interpretatio, qua ad scædus nuptiale schema arrhabo-
nis h. l. accommodatur. Siquidem donatio spiritus arrhabo-
nis in locis scripturæ non tam Iesu Christo, qui ecclesiæ & fide-
lis cuiusvis animæ sponsus est, sed Deo patri potius tribuitur
II Cor. I, 21. 22. V, 5. Nec pignus illud, cuius in contractu ma-
trimoniali vsus, ad confirmandam futuram aliquam hæredita-
tem, sed ad fidem faciendam de certo præstandis coniugum
officiis adhibetur. Atqui vero in nostro loco refertur arrha-
bo ad *κληρονομίαν* seu hærediratem nostram, vt illius certo ex-
hibendæ fidem nobis faciat. Neque enim *Io. Cocceii* concilia-
tio rem componit, qua arrham sponsæ a sponso dari in testi-
monium communionis bonorum, sibi quidem persuadet. Hoc
enim sine arrha sponsalitia non datur. Superest ergo tertia
vocis *ἀρραβῶν* significatio, qua arrhabo in contractu vendentis
& ementis datur ab emtore in fidem seruandi contractus, quasi
pars anticipata futuræ plenæ solutionis. Est hæc vocis acce-
ptio apud græcos latinisque scriptores quam maxime pro-
pria: quare etiam illam patres ecclesiæ & Interpretes optimi
tanquam voci & rei ipsi accommodatissimam præ reliquis ad-
optarunt. Atque ita interpretantur spiritum arrhabonem ex
patribus *Irenæus*, (*k*) *Hieronimus*, *Augustinus* (*l*), *Basilius*,

Chry-

(k) *Aduers. Hæres. L. V. c. 8 Spiritum pignus dixit apostolus, hoc est partem
eius honoris, qui a Deo nobis promissus est, in Epistola, qua ad Ephesios
est, dicens: In quo credentes, signati estis spiritu promissionis sancto &c.*

(l) *Serm. XIII, de verbis apostoli de spiritu s. inquit, Qualis res est, si pi-
gnus,*

Chrysoſtomus, Theodoretus (m), Theophylactus atque alii. Se-
 quuntur illos ex recentioribus *Steph. Menochius, Dionysius Petri-*
us, Io. Pearſonus, Abrab. Calouius, Salom. van Till atque alii.
 Quod ſi vero hoc ſenſu ſpiritus ſ. dicitur arrhabo, tria potiffi-
 mum ad ſpiritum ſanctum referenda hac voce comprehen-
 duntur. Primo ſiſtit vox ἀρραβίων ſpiritum ſ. vt donum, quod
 ad ipſam hæreditatem cæleſtem ſuo modo pertinet. Eſt e-
 nim ἀρραβίων idem, quod *περόδομα* ſeu pars pretii, quæ de
 roto poſtea ſoluendo in anteceſſum dependitur. Conuenit
 hoc omnino ſpiritui ſ. quatenus fidelibus in hac vita donatur.
 Siquidem & promiſſio ſpiritus ſ., ſ. ſpiritus promiſſus referuntur
 ad benediſtionem Abrahæ, ad quam vel maxime vita æterna
 ſpectat Gal. III, 14. Pertinent ſanctificantiæ ſpiritus dona e.
 g. caritas, quæ eſt fructus ſpiritus Gal. V, 22. ad ipſam vitam
 æternam: continuabitur enim & in illa actus habitusque car-
 ritatis tum in Deum, tum in alios æternæ felicitatis ſocios,
 I Cor. XIII, 8. Sunt omnino pax illa diuina, quies & lætitiæ
 animi, effectus ſpiritus ſ. per quos in iuſtificatis per Chriſtum
 ſe manifeſtat, dum de ſtatu gratiæ, arrhabonis inſtar, illos con-
 uincit certioresque reddit Rom. V, 1. XIV, 17. XV, 13. Arqui
 vero pax illa animi & gaudium ineffabile & glorioſum ſunt
 vel maxime pars vitæ æternæ II Theſſ. I, 7. I Petr. I, 8. Et
 quid multa. Conſiſtet in propiore cum Deo coniunctione
 ipſa

„gnus tale eſt? Nec pignus, ſed arrha dicendus eſt. Pignus enim
 „quando ponitur, cum fuerit reſ ipſa reddita, pignus auferitur. Arrha
 „autem de ipſa re datur, quæ danda promittitur: vt reſ quando red-
 „ditur, impleatur, quod datum eſt, non mutetur. Reliqua loca vid.
 ap. *Petau.* Theolog. dogmat. T. II. de Trinit. Lib. VIII. cap. 4. *Io.*
Pearſ. Expoſit. Symbol. apoſt. Artic. VIII. p. 182. *Io. Caſp. Suicerum*
 Theſ. eccleſ. Tom. I. p. 111.

(m) ad II Cor. I, 22. *Διὰ μὲν τοῖς τῆ ἀρραβίωνος ἠνέκα τοῦν δοθησο-*
μένων τὸ μέγεθος ὁ γὰρ ἀρραβίων μικρόν τι μέρος ἐστὶ τῆ παντός.
Per arrham autem eorum, qua nobis dabuntur, magnitudinem innuit.
Arrhā enim eſt parua quadam pars totius.

ipsa vitæ æternæ ratio: atqui vere fideles, sunt iam quodammodo in hac coniunctione, dum spiritus Dei in illis habitat, I Cor. III, 16. 18. dumque illius participes Ebr. VI, 4. templa Dei fiunt, vniri hac ratione cum ipso Deo. I Cor. VI, 17. 19. Poterit vero & spiritus s. in fidelibus habitans, eo modo, quo ad vitam æternam pertinet, ad hanc vitam, quatenus sub notione hæreditatis eorum spectatur, referri. Eo enim modo, quo vitam æternam iure filiationis ex fide in Iesum Christum obtinent, consequuntur etiam spiritum s. arrhabonem. Consequuntur enim illum vt fructum filiationis ex fide in Iesum Christum dilectum Dei filium, Rom. VIII, 15. 16. 17. Gal. IV, 16. quo iure etiam cælestis hæreditas ad ipsos pertinet Eph. I, 5. 11. Secundo notio arrhabonis, dum spiritui s. tribuitur, hoc infert, vt dona spiritus s. inhabitantis, atque adeo etiam pax illa animi, & gaudium in spiritu, quæ spiritus s. arrhabo efficit, in hac vita, atque adeo, antequam ipsam æternam vitam ingrediuntur, fidelibus obtingant. Est enim arrhabo *πεῖδομα* pars pretii, quæ datur ante plenam solutionem. Atqui vero hæc dona, quoad ipsam rem, quamuis modo graduque diuersa, ad vitæ futuræ beatitatem pertinent. Pertinent ergo hæc dona, & hæc operans & ipse cum illis vnitus spiritus s. quatenus in hac vita fidelibus donantur, ad prægustum vitæ æternæ per Hebr. VI, 4. 5. atque adeo ad hæreditatis futuræ primitias, quo sensu etiam *Basiliius M.* (n) spiritum sanctum dixit: *τῆς αἰωνίης κληρονομίας ἀρχὴ βῶνα καὶ τῶν μελλόντων ἰσχυρῶν ἀπαρχήν*, æternæ hæreditatis arrham & futurorum bonorum primitias. Terrium, quod arrhabonis notio complectitur, hoc est, vt tanquam pignus homogeneum secururæ plenæ solutionis fidem faciat. Erit ergo & hoc spiritus s. dum dicitur arrhabo, officium, vt secururam hæreditatem, cuius dicitur arrhabo, fidelibus confirmet atque obfignet. Et hoc competit omnino in spiritum s. arrhabonem: siquidem & dona illa filialis fiduciæ, amoris-

(n) Extrema Homil. in s. baptisma,

amorisque erga Deum ut patrem, & proximum, quæ spiritus
s. operatur, testantur ut fructus, de vera in Iesum Christum fi-
de, de statu gratiæ & filiationis apud Deum: fidem igitur fa-
ciunt futuræ hæreditatis cælestis, quæ cum illis antecedenti-
bus connectitur. Immo fidem facit spiritus sanctus obrinendæ
futuræ beatitudinis, dum directâ operatione de statu gratiæ ani-
mos conuincit, pacem conscientiæ operatur, & spem vitæ æ-
ternæ efficit. II Cor. II, 21. 22. Rom. VIII, 11. Quæ si rite ex-
pendantur, id omnino euincunt; notionem arrhabonis spiri-
tui s. commodissime tribui sensu illo, quo arrhabo notat par-
tem de soluendo pretio in antecessum datam ad confirmatio-
nem securæ plenæ solutionis. Confirmat hanc interpreta-
tionem tertium in tractatione nostra *momentum*, quod *obie-*
ctum sistit, seu *rem illam, quam spiritus s. ut arrhabo confirmat.*
Dicitur illa ab apostolo κληρονομία: vocat enim spiritum s. ar-
rhabonem κληρονομίας ἡμῶν *hæreditatis nostræ.* Vox κλη-
ρονομία proprie notat distributionem per sortem: cum vero
in hæreditate dispertienda hæc olim adhiberetur, possessionem
hæreditariam, quæ sortitione distribebatur, κληρονομίας nomi-
ne venire, notum est. conf. Matth. XX, 38. Luc. XII, 13. Erit
ergo & h. l. de hæreditate quadam seu bonis, quæ a parenti-
bus relicta liberis cedunt, cogitandum. Neque vero h. l. co-
gitari potest de externis possessionibus, sed cogitandum est de
spiritualibus vitæque æterna, summa post hanc vitam fidelium
felicitate, quæ Hebr. IX, 15. αἰώνιος κληρονομία, *æterna hæredi-*
tas: incorruptibilis, quæ non maculatur, nec marcescit, I Petr. I, 4.
hæditas in regno Christi & Dei, Eph. V, 5. appellatur. Dicitur
vero æterna hæc vita, futura vere credentium felicitas, κληρο-
νομία *hæditas*, eo inprimis respectu, quod fideles illam non
obtinent ex proportionem meriti operum, sed quod illam conse-
quuntur ex gratia, iure filiationis apud Deum patrem per Ie-
sum Christum, perpetuo possidendam Rom. IV, 14. VIII, 17.
Gal. III, 18. IV, 7. Et huc quidem per hanc metaphoram re-
spici


spici magis existimem, quam ad notionem terræ Canaan, quæ Israelitarum in V. T. dicebatur hæreditas, ideo, quod ex promissione diuina patribus facta ad posteros eorum transferenda, & hæreditario iure possidenda erat: quamuis parte illa, qua terram Canaan ex promissione diuina nanciscebantur Israelitæ, typumque cælestis patriæ exhibebat, comparationem non omnino esse incongruam, facile largiar. Complectitur hæc hæreditas bona omnia alterius vitæ, in primis quæ perfectionem felicitatemque ponunt, ipsam scilicet Dei vt summi boni patrisque amantissimi intuitiuam cognitionem, intensissimumque cogniti illius amorem, & in illo cognito voluntatis sariatæ acquiescentiam, & ineffabile gaudium in commercio sanctis angelis reliquisque cœlitibus in æternum duraturum. Exhibentur hæc sub schemate complexus bonorum, quæ in commercium venire possunt, quorumque dari potest per solutionem quandam ad futuros possessores translatio, vt eius in hac vita *περδομα* s. arrhabo dici ab apostolo spiritus s. possit. Nec obstat, quod naturam contractus emtionis & venditionis non habent gratuita vitæ æternæ donatio sanctique spiritus, quoad operationes & dona in fidelibus spectati, collatio, & quod nulla ex debito, ad dandum fidemque de soluendo faciendam, obligatio adsit. Siquidem hæc comparatio ex natura omnis similitudinis exponenda eo tantum pertinet, vt partim bonorum futurorum veritas & soliditas, partim nexus ille, quo ex pacto euangelico inter Deum & hominem, sedere nempe gratiæ promissoque diuino, hæc bona consequuntur, luculentius exhibeantur. Est hæc comparatio eo etiam referenda, vt spiritus s. indoles quoad dona in credentibus, quæ quasi in manus traduntur & vt pignus homogeneous futuræ plenariæ exhibitionis, non imaginaria persuasione, sed vere accipiuntur a credentibus iustificatis & piis, eo distinctius proponatur. Placent simul hanc in rem, quæ scribit ad nostrum locum Theologus Batavus *Salom. van Till* (o). Nos existimamus,

(o) Comment. ad h. l. p. 194.

mus, inquit, *Paulum respicere ritus adoptionis, quando filius adoptatus in partem possessionis introducebatur, in spem hereditatis ex asse.* Ostendunt hæc quodammodo propius, qua ratione & in negotio hereditatis, vbi nulla emtio & venditio, ἀγορά aliquod & arrhabo locum habere potuerit. Neque vero alienum est, spiritum sanctum, cum sit persona, dici posse arrhabonem, cum quoad dona sua spectetur, & alibi hoc respectu donum vocetur Act. II, 38. quo nomine & Christus venit Ioh. IV, 10. quemadmodum & ipse Deus pars nostra Pl. CXLII, 6. & portio hereditatis & calicis Pl. XVI, 5. nuncupatur. Nec aliena est notio arrhabonis a personis, cum miles romanus apud Gellium (nor. 2) dicatur arrhabo. Superest denique, vt *quartum* tractationis nostræ momentum expendamus, illosque spectemus, ad quos tanquam arrhabo spiritus s. ab apostolo h. l. refertur. Vocat vero spiritum s. arrhabonem τῆς κληρονομίας ἡμῶν. Pertinet κληρονομία hæc, cælestisque hereditas ad plures, & inter illos semetipsum hac loquendi forma comprehendit, qui hæc scribit, apostolus. Ad eosdem vero, ad quos κληρονομία s. hereditas pertinet, pertinet etiam spiritus arrhabo. Est enim hic spiritus arrhabo eorum, quorum est hereditas. Loquitur vero apostolus h. l. de pluribus in societate cum ipso spectatis quoad communionem fidei, & sub illis conuersos ad Iesum Christum tum ex Iudæis tum ex gentibus complectitur. Prædicauerat v. 15. præced. in conuersis ex gentibus, quod verbum euangelii audiissent, quod credidissent, quod per spiritum s. ob signati essent. Pergit nunc describitque spiritum illum sanctum, vt arrhabonem hereditatis. Poterat ergo dicere, qui est arrhabo hereditatis vestræ. Verum enim vero probe memor apostolus, non esse hac parte discrimen aliquod Iudæi & græci, sed vnum eundemque esse vtrumque in Christo Iesu Col. III, 11. Gal. III, 20. mutat stylum, spiritumque arrhabonem, arrhabonem dicit hereditatis nostræ, atque adeo omnium vere credentium. Pertinet igitur spiritus arrhabo ad omnes illos, qui per v. 13. euangelium de

de salute sua audiuerant: neque vero tantum audiuerant, sed corde ad salutem crediderant, & per spiritum s. signati & ob-
gnati erant. Atqui hi sunt vere regeneriti & iustificati, hi sunt,
qui ad Iesum Christum pertinent Rom. VIII, 9. ii. qui spiritum s.
vt inhabitantem recipere, eiusque gratiæ & renouantis & re-
creantis animumque de statu gratiæ confirmantis fieri possunt
participes. Horum ergo est spiritus s. arrhabo. Refertur hic
spiritus ad totum hominem. Pertinet enim cœlestis hæreditas
ad totum hominem, ita vt & corpus in communionem eius v-
nitum cum anima aliquando venturum sit. Rom. VIII, 11. Ioh.
VI, 40. Philipp. III, 20. 21. Interim spiritus s. officium, quo est
arrhabo, spectat potissimum ad animam. Est enim intellectus
per gratiam illuminatus & voluntas sanctificata officina spiritus
arrhabonis. Prædicat ergo apostolus hoc Dei opus II Cor. I, 22.
quod dederit arrhabonem spiritus *in totis uisceribus nostris*, vt scilicet in illis habitet & in illis operetur. Ope-
ratur vero, dum est arrhabo, imprimis conuictionem, sensum-
que status gratiæ, tranquillitatem, pacem & gaudium spirituale
& prægustum suo modo æternæ vitæ viriumque futuri seculi
Ebr. VI, 4. 5. Haberi hic, *carissimi Cives*, delineatum spiritum
s. hæreditatis nostræ arrhabonem. Neque vero nobis ita sisti-
tur hic Dei spiritus, vt hæc sciamus, vt cognoscamus, vt con-
templemur illum. Exponuntur hæc nobis, vt animos exci-
tent, quo ordine, quem præscripsit Deus, experientes quæren-
que illum, reddamur illius participes. Signabantur illo Ephesii, postquam
verbum audiuerant (per v. 13.) Absit igitur omni tempore & his ipsis
diebus festis a nobis omnibus verbi diuini, quod h. l. *verbum veritatis &*
euangelium salutis nostræ audit, contemptus. Inluit per illud ad intelle-
ctum illuminandum flectendamque voluntatem & fidem in animis gene-
randam s. spiritus Act. X, 44. Rom. X, 17. Neque vero existimemus rem
omnem confectam esse, si audiamus legamusque verbum veritatis: con-
iungit hæc ita apostolus, vt non tantum audientes verbum veritatis sistat
Ephesios spiritu sancto signatos, eodemque tanquam arrhabone donatos,
sed vt credentes illos in Iesum Christum exhibeat. Quod si ergo expeti-
mus spiritum s. arrhabonem, absit a nobis profana mens, quæ fabulam esse
somniauatur Euangelium de Iesu Christo, quæque in vanam fallamque persua-
sionem

tionem vertere vult insulsa ratiocinatione fidem in dominum Iesum Christum Dei filium Ioh. XX, 31, æternæ redemptionis per sanguinem suum inuentorem Hebr. IX, 11. sqq. Spiritus s. donatorem Ioh. XV, 26. Act. II, 33. Amplectamur hunc potius vt causam salutis nostræ fide, non quæ sit oris tantum, sed cordis Rom. X, 10. fide a spiritu s. qui spiritus fidei audit, producta II Cor. IV, 13. I Cor. XII, 2. Ioh. XVI, 14. Amplectamur hunc ordine veræ penitentia, contritionis, sensu & detestationis status peccati. Quod si vero toto corde in Iesum Christum credimus & iustificati sumus per fidem Rom. V, 1, quæramus & illud omni studio, vt de præsentia veræ fidei in animis nostris II Cor. XIII, 5. & statu gratiæ conuincamur, & spem certam futuræ hæreditatis & salutis, quæ terminus est fidei I Petr. I, 5. 9. Eph. I, 18. obtineamus. Et hoc præstat spiritus s. arthabo, Dei spiritus, diuinumque donum. Quod si ergo hunc spiritum obtinuerimus, diuina certitudine, si inceptam fiduciam ad finem retinuerimus Hebr. III, 14. de secutura possessione plenaria bonorum certi esse poterimus. Scilicet quotquot per spiritum regenerati & fide iustificati sumus, filii Dei sumus I Ioh. III, 2. atque adeo hæredes Dei & cohæredes Christi Rom. VIII, 17. verum nondum apparuit status ille noster: asseruatur hæc nobis in cælis hæreditas I Petr. I, 5. At ne concidamus animo inter tot vitæ huius ærumnas, satanæ tentationes, carnis nostræ infirmitates, mundi odia & illecebras, destinauit nobis pater cælestis pignus præstantissimum, spiritum suum s. arthabonem. Pertinet hic ad ipsa futuræ vitæ dona. Gustamus ergo virtutes futuri seculi, dum spiritum arthabonem fiduciam in Deum patrem, amoremque filialem operantem in nobis sentimus, dum pacem conscientia & spiritualem lætitiã in animo experimus. O beatos nos, quibus spiritus s. arthabo hac ratione futuræ felicitatis sensum in hac vita iam exhibet! O beatos nos quibus spiritus s. arthabo, futuræ felicitatis primitiæ fidem facit de tota hereditate certo secutura! O beatos nos, si spiritum hunc in nobis habitantem deprehendimus. Quod si vero hæc ignoramus, si sensu omnino spiritus filialis, qui fiduciam, amorem, obsequium, preces, spemque vitæ æternæ in credentibus & piis efficit, destituimur: si contra in nobis mundi spiritum dominantem, verbisque & factis imperium vbique ostentantem deprehendimus, certe spiritum arthabonem non habebimus, nec hæreditatem, cuius pignus est, expectare possumus. Meditemur serio hanc lugubrem, si talis sit, rerum nostrarum faciem Christo destituti, si spiritu eius destituti Rom. VIII, 9. Nitamur contra omni studio, vt huius quidem spiritus arthabonis participes facti, illum seruemus, & retento illo spem cælestis hæreditatis retineamus illam suo tempore certo adituri. P. P. in Vigiliis Pentecostes A. R. S. cIo Iocclxlii.



ad 14.

01 A 6501

ULB Halle
002 927 330


3



sh

12





Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

4

BENED. GOTTLOB CLAVSWITZ

S. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.

IN ACADEMIA FRIDERICIANA


HALENSI

COMMENTATIO

DE

SPIRITV SANCTO
ARRHABONE

ad Ephes. I, 13. 14.



HALAE MAGDEBURGICAE
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII.